

G. H. DE DISCENDA  
GRAECA LINGVA  
*ORATIO PRIMA.*

Quod me derepente sitis Graecae linguae habituri interpretem, humanissimi adolescentes, bellissimique pueri, qui alijs implicatus & plurimis, & difficillimis studijs, minimam in ea operam, industriamque defixerim, necessitati, non voluntati meae tribuetis. Sic enim ad hoc pensum, atque munus, amicissimi hominis integerrimique viri rogatu accessi, vt existimarem plerosque omnes commodius ad id suscipi posse, quam me: me potius debere, quam neminem: & non electum modo, ex multis, sed magis relictum ex omnibus, qui, cum alij partim excusarent sese, partim omnino recusarent, nolui in eo vestris optatissimis, iucundissimisque studijs deesse, in quo aliqua ratione prodesse possem, & saltem assiduitate laboris, atque studio efficere, quod diuturna obseruatione (fatendum est enim) variaque lectione non queam. Sunt hae aliorum laudes, hominum vndiquaque literatorum: H. certe, in hoc aetatis flore, nondum sunt. Habetis ergo beneuolum quidem, ac percupidum progressionis vestrae, sed non satis etiamnum instructum, expolitumque διδασκαλὸν: eundemque Graecae linguae amantissimum, vt ipse discam: sed non peritissimum, vt doceam alios. Dabo autem aliquam profecto operam, (quandoquidem hoc mihi ἐλληρικὸν negotium procurandum est) id ne pessime faciam ad ignominiam, quod optime non possim ad laudem: nec perdam hercle, vti spero; siquidem verum sit, quod Graeci ipsi dicunt, τῷ πόνῳ ἀποκρίνεται τύχη: & sua munera laboribus vendant Immortales Dij. Ac vos quidem, & omnino omnes, & sigillatim singulos, magnopere etiam, atque etiam hortor, vt ad vtilitatem ipsi vestram, huiusque florentissimae aulae dignitatem, Graeca cum Latinis coniungere velitis, & quod in altera lingua iamdudum praeclare fecistis, in altera studiose, diligenterque elaborare. In qua si antiquitatem spectetis, vetustissima: si copiam, & vbertatem faecundissima: si elegantiam, & concinnitatem, politissima: si vrbانيتatem, leporem, sales, delicias, venustissima: si optimarum disciplinarum, atque artium scientiam, eruditissima: si dignitatem, & splendorem, nobilissima est: si quid aliud denique, faelicissima. Et si Patrem illustriorum ingeniorum Homerum; de cuius excellentissima Iliade, & Odyssea, Apollo ipse non est veritus gloriari: Carmina sunt mea: sed manus haec descripsit Homeri: si tanti patris tantos filios, quantos doctorum orbis Sophoclem, Euripidem, Pindarum, Aristophanem agnoscit, atque praedicat: si inter philosophos Platonem, Xenophontem Socraticum, Aristotelem, Theophrastum, Euclidem; inter Oratores, Demosthenem, Aeschinem, Isocratem, Hermogenem, Lucianum; inter Philologos, Athenaeum, Suidam, Hesychium, explicatorem Homericum, Budaeum; inter historicos, Herodotum, Thucididem, Polybium, Plutarchum, Dionem: si magnos clarissimosque Graeciae scriptores, (cuius generis doctrinarum si non inuentrices, certe amplificatrices Athenae plurimos ediderunt, nullaque vnquam obliuione obruendos) & legere, & intelligere cupiatis: indeque tum linguam Oratoria, poeticaque eloquentia perpolire, tum philosophica, historica, politica sapientia mentem excolere: (quotus vestrum id quisque nolit, tam generosae spei?) sua loquentes, non peregrina lingua; & auctores, non interpretes legere debetis: id est, fontes, non riuulos consecrari. Etenim, quanquam *Sapor est oblata dulcis in vnda*, vt scite, eleganterque poeta ille\*, tamen, (in quo vtinam ego nunquam peccassem, sed erranti sit Medicina confessio)\*

*Gratius ex ipso fonte bibuntur aquae.*

[1] [Nnnn. 6r]

*Et magis adducto pomum decerpere ramo,*

*Quam de celata sumere lance, iuuat.*

Percelebratum carmen est: & sententiam quis nescit verissimam? Miserum est, alienis videre oculis: miserum auribus audire alienis: & fiunt vertendo ferme omnia deteriora: vt ceruisia in aliud, atque aliud vas transfusa, & arbor, identidem de suo loco transplantata: nec inscitum percrebuit siue Reuchlini, siue alterius cuiuspian Apophthegma: Hebraeos quidem, bibere fontes: Graecos vero, Riuos: Latinos autem, paludes: & philologus quidam, Athenarum non filiolum, sed priuignam dixit Romam: atque a Capitolio, ad Palladis Acropolin non semel, sed saepe prouocauit. Ergo vt splendida illa, ac perillustria Graeciae monimenta, in primisque delicatissimarum Athenarum μυροθήκια, primo quoque tempore euoluatis, & pares aliquando in vtriusque Orationis facultate sitis, pristinamque studiorum laudem, atque gloriam duplicetis: Rudimenta, quamprimum ipsa, & grammaticae, vt Graeci vocant, στοχεῖα, quae vtilissimarum, maximarumque rerum quasi bases, atque fundamenta sunt, viamque ad altiora muniunt, perdiligenter vobis etiam, atque etiam imbibenda, memoriterque tenenda, & recitanda saepius, atque iteranda sunt: in primis P. Rami, cum opinione mea, exquisitissima, tum aliorum iudicio, perfectissima. His adiungetis; quandoquidem ei sic visum est, cuius ego adsum vicarius; eam Catechesis vestrae partem, quae περὶ τοῦ νόμου, [...] τῶνδε δέκα ἐντολῶν, est inscripta: vt cum ornatissimae, humanissimaeque linguae cognitione, sanctissimae, diuinissimaeque Legis Oracula ediscatis. Debet enim & proprie vobis, & communiter omnibus, tanquam forma quaedam sempiterna, & immortalis Idea esse Lex: in quam perpetuo intuentes, vitam optime, honestissimeque institutis: atque adeo vos ipsos quasi in speculo, id est, naeuos, ac cicatrices vestras contemplantini. Haec namque vna nos, cum res omnes praeclaras, & excellentes, omninoque cunctas, & diuinas, & humanas virtutes, (neque enim vlla cum ea sunt, vel Aristotelis, aut Platonis Ethica, vel Hieronymi, aut Ciceronis officia comparanda) tum quod est maximum, ac difficillimum docebit, vt nosmet ipsi nosse, & quidem intus, quod aiunt, atque in cute valeamus. Cuius praecepti tanta nimirum vis, tanta dignitas, tanta Maiestas est, vt non ab homine aliquo excogitatum, sed a Deo quodam traditum, atque promulgatum existimetur. Quod cum ita sit, peto a vobis, atque contendo, quod tam saepe, tam ardenti a vobis zelo, Halisius vester postulauit, vt vna, eademque opera, in vtroque proficere velitis: & in peritia Graecae linguae; quae vtilissima est: & in diuinae legis obseruatione; quae maxime erit salutaris. Quam ad rem, hunc ego expeditissimum, vt mihi saltem videtur, cursum in legendo tenere statui. Primum quidem Graeca conuertam: sed dupliciter: nam & verbum pro verbo reddam, vt interpres, & bene Latine dicere conabor, quae bene Graece dicuntur: atque in altero fere annumerabo verba: in altero quasi appendam. Qui labor meus hoc assequetur, vt non modo interpretari, sed etiam apte & commode, & enucleate, & Latine, & eleganter, & illuminate, id est, vt vno verbo dicam, bene interpretari possitis: in eoque Ciceronem vestrum, vt minime adumbrati Ciceroniani, paulatim imitari: qui sic Platonis Timaeum; Xenophontis Oeconomicum; aduersarias Aeschinis, & Demosthenis nobilissimas Orationes; Arati Phaenomena, fecit Latina. Proximum erit, vt sententiam ipsam Ethicam, atque subiectam, quae dicitur, materiam dilucido, & explicato, & familiari expositionis genere, παραφραστικῶς explanem: & siquid aliud in Ethica hac Analysis incidit, diligentiori animaduersione, notationeque dignum, patefaciam: sed breuissime: nam pluribus non placet: nec, si placeret, possem: nec deberem, si possem. Vltimo in loco, singula, & coniuncta verba suis quasi ponderibus examinabo: & in singulis quidem ἐτυμολογίαν, in copulatis vero σύνταξιν excutiam: nihil earum obseruationem praetermittens, quae ad Grammaticam istam Analysin, scholasticamque Exegesis spectare videbuntur. Nam προσωδία, & ὀρθογραφία per superiora sunt, tanquam sanguis per membra fusae, &

dissipatae. Atque hoc primum quidem in omnibus, atque singulis praestabo; imitatus Nutrices, quae omnia solent minima mansa infantibus in os inserere: deinde in pluribus aut paucioribus, prout vos magis, aut minus proficietis. Vt autem, quod maxime cupio, proficiatis maxime, proponitote vobis ante oculos eum, quem habetis in manibus, Henricum Stephanum: qui iam paene puer, vt ipse de se testatur, Catechesin vestram e Gallica Graecam fecit: atque ita fecit, vt Philippo Melancthoni, viro literatissimo, & Graece, Latineque pererudito, omnino fecisse videretur satis. Huius, inquam, labores, studia, progressus, lucubrationes, vigilias, commentationes, Analyses, Geneses denique proponite vobis ad sequendum, ad imitandum, ad aemulandum, & tandem aliquando Thesauri etiam vestri prodibunt: vnde & vobis gloria immortalis, & propinquis, amicisque  
[2] [Nnnn. 6v]

incredibilis voluptas, & amplissima Reip. accedat vtilitas. Ac permagnam quidem Stephanus: sed nec minorem, nec obscuriorem alij sunt laudem consecuti. Ferunt Ludouicum Stellam, quindecim annorum generosum adolescentulum, adeo doctum Graece apud Gallos, atque peritum extitisse, vt nullum non auctorem, suo, vt dicitur, Marte, facillime potuerit explicare: & hac aetate Lucianum, Aristophanem, Theodorique Grammaticam Aureliae publice, in frequentissima Auditorum luce, docuisse: idque magna cum admiratione, sua maxima vtilitate, atque laude. Cuius laudis sempiterna memoria, publicis est literarum monumentis a Fortio consignata. Ecce, quam facile sit, non tam nomine, quam reipsa esse stellam: si quis faelicioris ingenij neruos intenderit modo: & naturae Duci, duas a latere comites, atque contubernales adiunxerit, Artem, & exercitationem. Ac de Ioanne quidem Thoma Freigio non ita pridem inaudiui, eum vel decem annorum puerum, (notatisne?) eum, inquam, vel decem annorum puerulum, (pudet bis decem annos natum dicere) in Graecis omnium prope generum, facultatumque auctoribus, Ioannis Hertungi, eruditissimi viri, singulari ope, atque opera; studiosissime fuisse, fructuosissimeque versatum. O aureum spem: o albae gallinae: sed quid hoc est? o naturae optima maxime, diuinum filium, & plane Iunonium. Fuerunt alij: quid dico, fuerunt? sunt iam, inquam, eruntque alij, Graecarum, & literarum ad intelligendum, & artium ad dicendum, sapiendumque scientia, praeclare a pueritia instructi, & informati: sed eorum numerus est infinitior: nostrosque in hoc tempore populares libenter praetermitto: in quibus tamen nec Stephano Smithus: nec Stellae Checus: nec Freigio Carrus vnquam succubuit. Tres nominaui exteros, ad ipsorum laudem, & pudorem nostrum: sed pudorem tamen eum, qui stimulus esse possit, atque debeat ad laudem. Habetis eadem adminicula, quae illi habuere: potestis eadem vestigia figere, & iisdem ire itineribus: habetis denique eos ipsos, quos imitemini, & a quibus illustre, atque viuum exemplum capiatis. Quid multa? Non desunt λεξικὰ, neque Latino, vt vocant, Graeca, neque Graecolatina. Est vobis Clenardus, homo Graece perdoctus: est Antesignanum, cuius vexilla sequi debeatis: est Ramus, non ille quidem Ramus, sed arbor, vt ita dicam, cunctarum Artium, non modo vtriusque Grammaticae, florentissima: est Budaeus: est Crispinus: est Stephanus: tres tanquam Columnae, illius, ad quam contendatis, Acropolis: & Graiarum elegantiarum, diuitiarumque custodes, atque vindices locupletissimi. Postremo infinita propemodum sunt, quae vos non modo erigere, & excitare, atque adeo inflammare ad discendum, sed etiam confirmare possint, & adiuuare, & quodammodo manuducere. Nec iam tandem aliquando non perridiculum esse coepit apud pueros in priuatis scholis, quod solebat apud seniores, maximeque apud omnem Bartholorum, atque Baldorum familiam, in publicis Academijs, esse tritum: Graecum est, non potest legi. Quamobrem vos quidem isto modo, vt boni ratiocinatores, concludetis: Graeca non potest legere:

ergo Asinus est, ergo ἀναλφάβητος est: ergo Carpentarij similis est. Volo enim ἀξίωμα, & quasi legem quandam, edictumque Academicum esse deinceps: Quicumque Graece nescit Asinus reputator. Habetis, mei suauissimi auditores, concisam Oratiunculam, subito illam quidem, non accurate, ex tempore, non diligenter, & sumpto spacio conscriptam: certe effusam potius, quam elaboratam: sed tamen, vt spero, eam, quae vos vel languentes commouere possit, vel currentes aliquo modo incitare, vel aestuantes denique quod vehementer cupio, inflammare. Atque haec ego, quasi προλεγόμενα quaedam, & εἰσαγωγικὰ esse volui: cras optatissimae linguae interpretem exspectabitis: vtinam vero optatissimum.

G. H.

[3] [Nnnn. 7r]

page 1.

\* illa

\* confessio. (sic, cum puncto pro parenthesi)